EPISTOLA

PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

CONCORDIENSIS DIOECESIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLI

Digitized by Google

Digitized by Google

ANGELUS FUSINATO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS CONCORDIENSIS

Clero Populoque suo salutem in Domino.

Quod ego nec antea utpote homo excogitaram nec unquam voluissem, quod nonnisi obedientia ductus utpote christianus non recusavi, quod vos, venerabiles Fratres Filiique in Christo carissimi, fervidis votis expetebatis, actum est hodierna die atque perfectum. In Cathedrali Basilica hujus urbis celebratissimae, ubi ego adhuc puer dioecesano exceptus Seminario majorem vitae meae melioremque partem nunc educandus, nunc educator exegi, qui sane locus aeque mihi in deliciis est et erit ac natale paternumque domicilium; inter collegas spectatissimos, quos societate conjunctos bonitatis et scientiae magistros constanter expertus sum, eaque prosequor grati animi devotione, quam nulla unquam aut diuturnitas temporum aut locorum distantia attenuabit; ab Episcopo meo vel potius Patre, qui me a primoribus usque gradibus ad summum sacerdotii fastigium sua ipse manu evehens amoris sui opus voluit complere, cuique propterea ego perennem filii reverentiam et intimam habebo affectionem: hodie cum trepidatione summa et religiosa totius corporis commotione *munus Consecrationis suscepi*. En quod vobis pastorali hac epistola annuncio. Id vos, qui tantopere optabatis, exhilarabit; at me, ut vere fatear, tristitia afficit atque perturbat. Episcopatus enim *bonum* est *opus* (1), atque *onus angelicis humeris formidandum* (2). Episcopus esse debet *sal terrae et lux mundi* (3); *servus fidelis et prudens, quem con-*

Digitized by Google

stituit Dominus super familiam suam (4); *bonus pastor, qui animam suam,* quoties oporteat, *dat pro ovibus suis* (5). Episcopus esse debet *irreprehensibilis, sobrius, prudens, ornatus, modestus, doctor, non turpis lucri cupidus, sed hospitalis, benignus, justus, sanctus* (6). Quid plura? Quae in magnis dignitatibus merces ampla ac praemium vulgo reputantur, Episcopum assidue solemniterque commonefaciunt, quanta sit ejus muneris gravitas et officii magnitudo. Sublimis honoris gradus in mentem illi revocat ac denunciat, ideo se in alto collocari, ut exemplo et doctrina clarius subditis splendidiusque praeluceat, ut gregem suum excelso veluti e loco opportunius possit custos intueri, eidemque, si opus fuerit, promptiori descensu auxiliator opitulari; in Ecclesia enim non habetur dominandi imperandique cupiditas, quique in ea *praecessor est* fieri debet *sicut ministrator* (7). Vestium pontificalium ornamentorumque majestas ac splendor illum, ut veteris olim Testamenti sacerdotem pretiosas supra pectus micantesque gemmas praeferentem, edocet custodiendos esse in ejus corde virtutum thesauros, earumque fulgorem bonis operibus usquequaque omnium oculis esse effundendum (8). Ipsa bona, quae episcopalis ratione ministerii possidentur, cum nihil aliud sint nisi fidelium vota ac pauperum patrimonium, illum jam monitum volunt, quidquid *modesto frugalique victui* supererit (9), id omne in pia opera erogari oportere, ideoque in proximum indigentem necessaria caritatis et eleemosynae exempla praeberi. Quapropter ad rem magnus Augustinus, *Omni die,* inquit, *et omni hora et cura omnino continua cogitare debet Episcopus, quantae dispensationis sarcinam gerat, qualemque de illa rationem Domino suo reddet* (10).

Itaque si coram Deo, Ecclesia et universa hominum societate tanta mihi hodie tamque gravia imposita fuerunt onera, eaque omnia sub aeternae damnationis poena exequenda sunt; videtis jam, venerabiles Fratres Filiique dilectissimi, non sine causa confitendum hoc ipso die mihi fuisse cum regali Propheta: *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus* (11). Enimvero ut primum mihi nunciatum est me ad antiquissimam et perillustrem istius Episco-

Digitized by Google

patus Sedem designatum fuisse, ingenti veluti ac repentino perculsus infortunio die ac nocte cum summa animi commotione ac fletu, ne hoc in me perfici pateretur, Deum suppliciter exorabam. Me siquidem deterrebat muneris gravitas, quam nostis, ac difficultas; repellebat conscientia utpote indignum ac imparem, immo nullum; ipsa praecipue avocabat indoles ac natura ad quietem semper proclivis et domesticam solitudinem, a qua me debita solummodo obedientia abstraxit invitum. Profecto nisi benevolum praesto fuisset hominum prudentissimorum consilium et gravissima praesertim Antistitum excellentium auctoritas, qui etsi pari ac majori repugnantia detinerentur, attamen impositam sibi crucem obsequenter amplexi sunt et praeclarissimum modo extant pastoralium virtutum omnium exemplar; nisi timor accessisset resistendi divinae voluntati, cui nemo, quin improbus evadat, potest adversari; nunquam ego, sane profiteor, tam formidandum Episcopatus onus suscepissem.

Illud igitur suscepi immemor omnino mei, ac proinde summopere confidens Deum, *qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia* (12), qui Moysem ac Davidem e pulvere excitavit eosque obscuros jam custodes armentorum sapientes populorum moderatores effecit, qui *potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae, et idoneos facit ministros novi Testamenti* (13); Deum, inquam, summe misericordem magno quodam potentiae prodigio mihi quoque tam infirmo non defuturum. Tunc ego quin doleam, de infirmitate mea, quae notum facit divinae voluntatis sacramentum, cum apostolo (14) Paulo libenter gloriabor, cum eoque propterea in angustiis et afflictationibus, quas mei praeseferet ministerii exercitatio, mihi placebo.

Benedictus itaque sit misericordiarum Deus, qui vulnerat eodem tempore ac sanat, qui mortificat ac vivificat, qui affligit et consolatur. Nam si sub pondere meis viribus longe majori vacillare cogor atque ingemiscere, ideo tamen laetor atque sustentor, quod *omnia possum in eo, qui me confortat* (15). Hac igitur consolatione erectus et summopere confirmatus Deo, vobisque, Fratres

Digitized by Google

Filiique mei, polliceor nihil me esse omissurum, omnia facturum ut singula et universa, quantum in me erit, missionis episcopalis munia convenienter adimpleam. Jam ego meum peregi sacrificium idemque peregi integrum obliviscens et abnegans me. Quod majus est, perfeci; quod superest, etsi grave ac difficillimum, mihi semper pro minimo reputabitur; vitam ipsam ab hoc temporis momento ideo mihi in pretio habendam existimo, quod ea ad Dei ita praecipientis gloriam et ad vestram sanctificationem uti debeo. Nisi enim laboribus quibuscumque et molestiis et ipsius etiam, si opus fuerit, vitae jactura animarum vestrarum saluti consuluero, de mea quoque desperandum est. Ad vos igitur veniam, ut vester omnium sim. Veniam ad vos sine praeoccupationibus et sine cujusquam ratione; pater aeque omnium pro omnium aeque bono elaborabo. Veniam *in caritate et in spiritu mansuetudinis* (16); quippe quia talem me vult Deus, cujus misericordia justitiam praeit, talem Ecclesia, cujus imperium amore innititur, talem demum (liceat id asserere) mea indoles, quae ad vincendum in bono malum, ut hortatur Apostolus (17), inclinat atque propendet. Id tamen nihil obstabit, quominus et firmus sim et etiam, si quando ratio postulet et religio, severus. Me ita dispositum experiantur necesse est si qui obstinato fuerint animo ac turbulento, si qui scandala ac discordias disseminarint, ii denique omnes, qui non communi hominum fragilitate, sed suapte malitia, depravata morum consuetudine et criminosis principiis aut ipsimet a recto tramite aberrarint aut alios abduxerint. At vos, Fratres ac Filii jam mihi dilectissimi cum sitis, eadem dilectione me et fratrem et patrem redamabitis. Qua de re nihil est cur dubitem, cum sciam, qua vestros Episcopos ac meum praecipue Decessorem sanctae aeternaeque memoriae virum reverentia ac amore vos semper prosecuti fuistis, quo studio ac sollicitudine exoptastis ut istaec Ecclesia, mea nunc sponsa carissima, luctuosa tandem aliquando viduitatis insignia deponeret, quo denique desiderio atque ardore meum inter vos adventum efflagitastis. Haec sane omnia cum publicum vestrae humanitatis ac religionis exhibent testimonium, tum

Digitized by Google

parem mihi obedientiam, amorem ac operam certissime pollicentur. Vos tamen ne pigeat, me ad sanctum illud amoris vinculum, quod hodie apud aras solemniter inter nos constrictum fuit, quodam quasi pignore confirmandum pauca cum ipso meae Consecrationis nuncio verba vobis praemittere eaque, nescirem equidem, utrum incitamenti an deprecationis vel laudis sint. Illud certe scio verba esse patris ad vim caritatis suae expromendam. Haec vos utpote perboni, dociles et perhumani excipite libenter, ideoque efficietis, *ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei et refrigerer vobiscum* (18).

Ac vos imprimis reverenter alloquor ac fidenter, lectissimi Canonici, spectatissimus Ecclesiae Concordiensis Senatus, qui mihi proxime accedentes unum corpus, cujus vos *nobiliora* estis *membra* (19), mecum efficitis. Vos enim Ecclesia cum publicarum depositarios precum ac magistros instituit, tum ad latus Episcopi collocavit ut consilio et opera peramanter eidem suffragemini. Omnibus profecto, sed iis praecipue, qui auctoritate praecellunt, ut alios apte dirigant, aliena quoque doctrina, fides et mutuum adjumentum necessario requiruntur. Ac propterea certus sum illud vos, quod et officii ratio et vestri postulant animi vires, auxilium mihi esse laturos. Nec vos praeterit hoc magni quidem esse momenti, sed in hoc nequaquam esse omnia. Qui enim primos honores adepti sumus, bonis etiam exemplis primi praelucere debemus, eoque magis quod clare aperteque cognoscitis omnium oculos in nos sicut in civitatem supra montem positam, aut lucernam supra candelabrum ardentem esse conjectos. Nobis itaque quasi ducibus caeteri quoque ministri ediscent qua mutuo se auxilio, indulgentia, amore prosequi, qua sacrorum exacta rituum observantia et religiosa divinorum celebratione mysteriorum cultum domus Dei ac decorem quammaxime promovere, qua spiritum vere ecclesiasticum ac solers Scripturarum, canonum, theologicarum moraliumque scientiarum studium excolere; uno verbo, a nobis discent ita vivere, ut *in omnibus* se ipsos praebeant *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* (20). Sic Basilicae Ca-

Digitized by Google

thedrali, quae omnibus dioecesanis Ecclesiis norma esse debet atque exemplar, majus accedet decus; sic pontificiae, quibus praediti estis, praerogativae ac honoris insignia novum acquirent ornamentum; sic vos meum in Domino gaudium implebitis.

Parem a vobis consolationem, dilectissimi ac venerabiles animarum Pastores, quos Deus in mearum sollicitudinum partem vocavit ac assumpsit, mihi jure polliceor. Quanta animi jucunditate quantaque fiducia ad vos, nobilissimum actuosae in Ecclesia agmen militiae, mea se vertit oratio! Quod enim vos nunc estis, idem et ego fui, proptereaque et quid possitis et quid promereamini, apertissime novi. Quare gregem, qui a principe pastorum Jesu Christo traditus vobis fuit, pretiosum veluti depositum custodite. Bonus ac verus pastor, qui reapse amat oves suas, nunquam eas deserit non solum quia cum eisdem jucundissime detinetur, sed etiam quod timet, ne aut necessario destituantur alimento, aut a supervenientibus lupis disperdantur atque mactentur. Nec alia de causa parumper abesse cogitur aliquando, nisi ut si qua amissa forte fuerit, diligenter anquirat. In vestro igitur loco assidue commoramini, et ovibus proxime fideliterque adhaerentes *pascite qui in vobis est gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (21). Illum imprimis pascite saluberrimo divini verbi pabulo (22). Enimvero confitendum nobis est, venerabiles Fratres, et quammaxime dolendum in ea nos *tempora periculosa* et ab Apostolo jamdiu commemorata (23) miserrime incidisse, in quibus summa homines superbia atque malitia nunc voce et scriptis, nunc ipsi per se aut per emissarios, qua hostes apertissimi, qua perfidiosissimi hypocritae sanctissimam Evangelii doctrinam pervertere ad suasque impietatis scholas quamplurimos sectatores discipulosque pertrahere conantur. Vigilate, oro vos, et obsistite vehementissime; summa cura et diligentia exercete divini verbi ministerium non in Ecclesiis solum diebus dominicis ac festis (tunc enim sacrosancta Synodo Tridentina adstringimini (24)), sed in omnibus locis quibuscumque tempo-

Digitized by Google

rum rerumque adjunctis ac opportunitate Apostolorum imitatores, qui *omni die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Jesum Christum* (25). Atque hic vestras, sacri Oratores, quibus perillustris istaec Dioecesis jure optimo laetatur, vires efflagito atque scientiam. Si mihi semper et praesidium et decus essetis, eo magis hisce diebus, qui majorem praeseferunt necessitatem, esse debetis. Vestrae saepe ac saepius conciones in veritate ac ineffabili fidei dono, in Ecclesiae sanctitate, in divina summi Pontificis auctoritate versentur. Quae quidem argumenta utpote ab adversariis nostris praecipue oppugnata vestris identidem auditoribus inculcanda sunt et evidenter demonstranda, ut persuasi jam atque certi debitum supremo Auctori amorem gratumque animum profiteantur. Vestra porro dicendi ratio ad Apostoli exemplum sit *non in sublimitate sermonis aut in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (26). Tunc ego vos, qui sublime vestrae missionis munus hoc pacto explevistis, duplici, ut idem praecipit Apostolus, honore dignos habebo.

Atque ut ad vos redeam, carissimi animarum Rectores, nunquam satis arbitror vobis esse commendatum, ut pueros in iis omnibus, quae ad religionem et mores pertinent, diligentissime instituatis. Suos hosce parvulos ut puro caelestium doctrinarum lacte nutriantur, ipse Jesus Christus vestrae fidei tradit et committit. Vos amantissimae veluti nutrices vestro in sinu illos confovete, incertos adhuc ac debiles dirigite ac sustentate, cum his familiariter conversamini, repuerascite et parvuli efficiamini, uno verbo, in Christo Jesu iterum parturite (27), et eo usque quasi manu perducite dum interrogati, ut jubet divus Petrus, possint reddere suae fidei rationem. Vos quoque, ecclesiastici Cooperatores omnesque Sacerdotes (omnes enim eodem simul amore complector) fore non dubito ut etiam hac in re tam necessaria vestris Parochis solerter opitulemini; quia et vos estis *genus electum, regale sacerdotium* (28), magistri in Israel; quia et vos in vestra ordinatione sacrosanctum Evangeliorum librum inter manus ideo accepistis, ut

Digitized by Google

debitum ejusdem aliis tradendi munus significaretur. Hisce temporibus dum impudentissimi nostrae religionis hostes tam celeriter tamque actuose veneficos suarum doctrinarum errores disseminant et juventutem praecipue vitiare conantur eo nimirum consilio, ut hac decepta et corrupta, venturas quoque aetates facile decipiant atque corrumpant; hisce, inquam, temporibus altaris ministri, qui scientiam unice veram ex sui officii vi et natura tueri et propagare tenentur, in tanto animarum per Jesu Christi sanguinem redemptarum periculo et necessitate negligenter se gerent atque incuriose? Praecipua vero Pastoribus opera in sacro poenitentiae tribunali a vobis praestanda est, qui pro sacramentalibus confessionibus approbati fuistis. Eo in loco, o Pastores et Confessarii, eo tempore vestrae percipietis praedicationis et magisterii fructus; qui profecto magni suppetent ac uberes, si vos quin a poenitentibus inquiri et expectari sinatis, ultro eosdem ipsi non solum inquiretis et expectabitis, sed benigne etiam exceptos audietis patienter et in omni caritate dimittetis. In illo enim tribunali si judicis munus exercetis, aequius ac melius officio patris perfungimini, qui arguens etiam et castigans suam filiis patefacit atque testatur benevolentiam. Ad sacramentorum vero frequentiam, maximum sane Ecclesiae bonum, recte promovendam illud valde prodesse existimo ac proinde vobis, optimi Pastores, vehementer inculco, si quoties majores solemnitates appropinquarint, populum crebro praemonueritis appositisque aliquando sermonibus excitaritis, ut ad sacramenta digne accedens easdem debita cum sanctitate celebrandas curet. Aliter non Dei, sed nostrae essent solemnitates, earumque propterea Deus, ut ait Propheta, stercus super vultum nostrum dispergeret (29).

Quemadmodum autem *nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt* (30); sic nos, venerabiles Fratres, cujus demum cumque gradus simus, omnes ita geramus, ut *nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (31). *Qua enim libertate laicos corripere poterunt sacerdotes,*

Digitized by Google

cum tacite sibi ipsi respondeant eadem se admisisse quae corripiuntur (32)? Quo ore religiosa mysteria, quae Angelorum exigunt sanctitatem, in publicam templi lucem prodibimus celebraturi coram illo populo, cui non bonorum operum exempla, sed offensionis petram quoquo modo praebuerimus? Simus igitur exemplum fidelibus et sancti simus, quia Deus, nostra potissimum haereditas, sanctus est (33). A qualibet non solum culpa, unde tanquam a venefici facie colubri fugiendum unicuique est, sed a quavis etiam mali specie summopere caveamus iisque abstineamus rebus omnibus, quae etsi nihil per se noceant, tamen propter nostri sublimitatem gradus nos magis quam alios dedecent ac dehonestant. Quam enimvero vestitum nimis elegantem perquirere, cum mulieribus, quas nec aetas provecta nec propinquitatis vinculum ab omni prorsus eximeret suspicione, familiariter conversari, mundanis se rebus immiscere, saecularibus implicari negotiis, mercatus tabernasque frequentare, publicis profanisque spectaculis, ludis, choreis, obstrepentibus conviviis interesse, vitam denique, ut praecidam, saeculi vivere; quam enimvero haec sacros ministros dedecerent? Quae quidem omnia ab Ecclesia et constitutionibus dioecesanis Clero vetantur, et, quia earumdem ratio in intima sacri ministerii natura sita est, nec locorum diversitate nec annorum serie aut obsolescere aut excipi unquam possunt.

Orationi assidue vacemus, ut et nos opem divinam consequamur et fideles efficax habeant exemplum atque incitamentum. Religionis pietatem, quae in nostris prius animis penitus insidere debet et radicitus imprimi, in omni semper loco ac tempore, sed praecipue in domo Domini latius extendi et propalam patefieri necesse est. Ejusdem enim cultus ac honor sanctarum majestate functionum, quae statis horis iisque majori populi parti commodioribus semper exequendae sunt, accurata rituum observantia, qui sicuti ab Ecclesia legitime praescripti negligi nequeunt, munda demum decentique supellectile promoveantur oportet. Quemadmodum vero *religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum* (34); sic nos in fra-

Digitized by Google

trum nostrorum egestatibus misericordiae operibus caeteros antecellamus. Quod profecto munus vel potius necessitas cum ad omnes simul homines pertineat, tum ad nos potissimum spectat ministros Dei, qui caritas est et solum per ipsam manet in nobis (35). Sacerdos etsi offendat aliquando ac deficiat, ab omnibus tamen colitur et diligitur, si fraternam ultro exerceat caritatem, sine quà licet caeteris effulgeat virtutibus, vix fieri poterit, quin communiter vituperetur. Christianae itaque dilectionis solemnia coram hominibus testimonia exhibeamus *supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (36). Simus, Fratres, *cor unum et anima una,* nobisque omnibus solatium simul erit atque robur.

Haec, venerabiles Pastores et Sacerdotes, praecipua sunt munera vestra atque officia. Haec vos, sicuti antea, imposterum etiam expleturos non dubito, eisque enumerandis nihil aliud egi nisi ut et sanctam mihi parerem voluptatem et ejus vobis, quam generatim promeretis, laudis significationem exhiberem.

Nec minori afficior laetitia, dum scribo ad vos, dilectissimi Clerici, florentissima spes et *novella germina* matris Ecclesiae, eoque magis gaudeo, quia vos nunc omnes in dioecesanum Seminarium, quod summam praeclarissimorum Decessorum pietatem et munificentiam testatur, in unam veluti familiam collectos jam video illius Viri optime meriti consilio et opera, qui Dioecesim usque adhuc prudenter administravit. Vos ego utpote tenellas ejusmodi plantas, quae in lectissimo hoc crescentes viridario ad tempestivam fructuum ubertatem in Ecclesiae campum transferendae sunt, non possum profecto quin sollicite curem benevoleque complectar. Erga studiosam juventutem, inter quam ipsemet adolevi diuque vixi, praecipuo quodam animi sensu me affectum esse profiteor instar patris, qui dum natu majores amat aestimatque filios, minores tamen, qui paternis magis indigent curis, peculiari quadam dilectione prosequitur. Sed verus amor mutuam exigit benevolentiam, quam me tunc adeptum arbitrabor, cum vos satagetis, *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (37); nemo enim

Digitized by Google

nisi qui prius a Deo tanquam Aaron vocetur, ingredi debet sanctuarium [38]. Primum itaque vocationis vestrae testimonium solida mihi pietas exhibebit, quae *ad omnia utilis* [39], fecundissima veluti radix caeteras quoque christianas virtutes progignit. Cujus quidem rei certum mihi erit argumentum, si quisque vestrum, ut praecipit Ecclesia, *habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferat* [40]. Pietati praeterea consentaneum est et exacte legibus obtemperare illiusque loci disciplinis, in quo singulari divinae providentiae beneficio collocati estis, et vestris ex animo praepositis obedire, *qui pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [41]. *Bonum est enim viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua* [42]; nec sperandum est qui illud juvenis excusserit, senescentem esse recepturum. Cum porro sacerdotes populorum doctores et magistri esse debeant, cumque Deus ministros scientiam repellentes repellat [43], ut ego de vestra vocatione certior esse possim, diligens quoque in studiis opera necessario requiritur. Haec mihi a vobis praestanda sunt, eaque ego omnia apostolici memor praecepti [44] ita exigo (mei enim vi amoris vos praemoneo), ut nisi qui innocentiam morum, indolis docilitatem, ingenium ad progrediendum idoneum commemoratis dotibus conjunxerit, nemini unquam manus impositurus sim. Qua in re maxima et gravissima tu, Rector eximie, qui de Seminarii pietate ac disciplina tantopere promereris, praevius mihi dux eris et consiliator. Vos quoque, egregii Professores, meus amor ac deliciae, quorum diligentia et ingenio litterae semper ac scientiae istic floruerunt, mecum pro vestro munere consociati parique sollicitudine in idem conspirantes, perspectis clericorum, quos docetis propensionibus, una cum eorumdem intellectu cor etiam et spiritum vere ecclesiasticum excoletis; unde fiet procul dubio, ut Concordiense Seminarium non solum pristinam famam et existimationem conservet, sed novum etiam decus majoremque gloriam adipiscatur. Id ut reipsa eveniat, summo ego opere omnique cogitatione contendam.

Vos etiam libenter compello, o reverendi Patres Regulares, qui

Digitized by Google

in ista Dioecesi commoramini. Non enim me latet quanta vos cura dilectissimos mihi Parochos nunc electum spargentes divini verbi semen, nunc sacramenta administrantes, qua aegrotantibus mortique proximis assistentes, qua pauperum ac moerentium solatores, pacem demum et gaudium ubique praeferentes adjuvetis. Nec mihi dubitandum est, quin vos identidem pro animarum bono in saeculum prodeuntes severis tamen coenobii virtutibus eidem praefulgeatis per exactam regularis disciplinae, quam professi estis, observantiam, unde religiosa instituta et stabilitatem unice habere possunt et nobilitatem (45). Mundus, a quo jam recessistis, ea tantum de causa vos aliquando praesentes aspiciat, ut pie fraterneque eidem succurratis, et *mortificationem Jesu in corpore vestro circumferatis .... in aedificationem corporis Christi* (46). Hinc illustribus regularis observantiae et christianae in proximum caritatis exemplis non solum populi, qui vos et vocat et experitur vere patres, gratum animum et obsequium, sed Pastoris etiam existimationem et amorem assequemini.

Eadem dicendi ratione uti apud vos possum atque laetor, sacrae Salesii Virgines, *hortus* vere *conclusus, fons signatus* (47), unde *pleno sicut ab agro, cui benedixit Dominus* (48), per totam Dioecesim proximasque regiones suavissimus christianarum socialiumque virtutum odor diffunditur. Unum ego verbum certissimis adjicio eorum omnium testimoniis, qui cum filias suas dulcissima amoris pignora vestrae pietati prudentiaeque commiserint, adeo instructas postea recipiunt tantisque cordis ac mentis dotibus insignitas, ut suae quaeque familiae ornamento et felicitati sint. Cum vero capitalis humani generis hostis eo praesertim in loco, ubi majorem deprehendit bonorum operum prosperitatem, delitescat ac insidietur; sic ego vos etiam atque etiam hortor, ut vigiletis assidue et funestissimas ejusdem fraudes praecaveatis. Quod ut consequi recte possitis, una vobis eademque necessaria ac tuta ratio proponitur, constans nempe et exactissima, sicut hactenus, regularum executio, quas a sancto Institutore vestro accepistis. Praeter nomen caelestem etiam ejus spiritum haereditate consecutae florentis in

Digitized by Google

dies magis instituti famam aeternabitis, mutuaque fide eritis sponsae Deo dilectae et ille vobis (49).

Vestrum quoque praesidium, inclyti omnium ordinum Magistratus, ac solatium mihi in sacra ministerii exercitatione non defuturum confido. Si verum est ab eorum, qui aliis praesident, exemplo instrui apprime subditos et ad agendum excitari (50); si inficiandum non est utramque potestatem ecclesiasticam nempe et civilem etsi ad diversum spectent finem diversisque ad eumdem obtinendum rationibus utantur, ideoque summae sint seque inter omnino liberae, tamen quia ab uno eodemque fonte nimirum Deo supremo cujusque legis et juris auctore derivantur (51), ad spiritalem temporalemque hominis felicitatem, quam sibi proponunt, consequendam sibi invicem adesse et opitulari; si perspicuum propterea est, optimum rerum ordinem publicarum et populorum bonum a mutua civilium sacrorumque ministrorum consensione et concordia pendere quodammodo ac sustentari; si haec, inquam, omnia certissima sunt, nullum mihi profecto dubium esse potest, quin vos tanta prudentia et probitate viri mecum libentissime consociati in id pro vestrorum natura officiorum incumbere velitis, ut ad veram populorum dignitatem ac prosperitatem integra morum honestas et purus amor religionis servetur maxime et promoveatur. Hac itaque ratione et praecipuo patriae reique publicae bono inservietis, et veram vobis laudem, quam summi etiam principes concupierunt, opportuno Ecclesiae patrocinio comparabitis. Ex quo sane illud eveniet, ut vos existimationem benevolentiamque populorum et caelestia charismata abundanter adipiscamini.

Vobis tandem omnibus meum cor amanter aperio, vosque singulos in *osculo sancto* complector, dilectissimi Ecclesiae Concordiensis Filii, quibus ego ab ipso meae electionis momento fui equidem *absens corpore, praesens autem spiritu* (52). Imprimis itaque, ut ipsissimis Apostoli verbis summa animi contentione vos exhorter, *vigilate, state in fide* (53). *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (54), quae vobis tanquam laquei protenduntur, ut decepti jam atque irretiti consiliorum perversitati caeca veluti instrumenta

Digitized by Google

inserviatis. *Licet.... Angelus de caelo evangelizet vobis praeter quam quod* catholica romana Ecclesia in eaque vestri Pastores ac vester Episcopus *evangelizant, anathema sit* (55). *In fide* vero *stantes* assiduas Domino gratias agite pro ineffabili hujusce beneficio: quandoquidem per eam dumtaxat filii et domestici Dei facti sumus, eaque destitutis ad pristinam redeundum est vilitatem et de salute omnino desperandum. Ecclesiam solam fidei custodem et divinam interpretem, columnam et fundamentum veritatis, matrem omnium amantissimam, quam nisi audiamus, erimus *sicut ethnici et publicani* (56), summa reverentia intimaque dilectione prosequimini. Revereminor eodem modo ac diligite Ecclesiae caput, Jesu Christi Vicarium, legitimum Apostolorum Principis successorem pari auctoritate ac honore praeditum, Patrem omnium universe fidelium ac Doctorem, romanum, inquam, Pontificem, in quo firmissimo velutì fundamento Ecclesia extollitur et stat usque ad consummationem saeculorum.

Ad vestrae vero fidei normam opera etiam conformate, *quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum* (57). Declinate igitur a malo et bonum facite. Declinate a malo et ab omnibus prorsus non solum operibus sed sermonibus etiam et desideriis carnalibus abstinete, quae hominem ad brutorum animantium conditionem dejiciunt, *quoniam,* sic enim scriptum est, *qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem* (58). Fraudes, usuras, sordidam lucri cupiditatem, funestissimam animarum luem atque exitium, effugite ac horrescite. Sanctissimum Dei nomen, quod nullo unquam modo profanari licet, cavete, oro vos atque obsecro, ne blasphemiae vitio turpissimo quidem, sed nostris hisce temporibus nimium propagato, audacter offendatis. Vestrarum vos animarum misereat, quae letaliter vulnerarentur; misereat vestri etiam Episcopi, qui tam detestabile impietatis genus maximopere odit semperque abominatus est. Illud vobis ante oculos ponite et cogitatione perpendite, quod praeter nullam utilitatem, summam immo proborum hominum contemptionem, Dei quoque, qui sui nominis honorem tuetur ac vindicat (59), iram et ultionem in vos

Digitized by Google

adhuc vivos inque alios provocaretis. — Verumtamen satis non est vos a malo declinare, sed ut de aeterna animarum salute certiores esse possitis, bonum etiam faciatis oportet. Dum igitur tempus habemus, *bonum facientes non deficiamus* (60); praeterit enim vita ceu fulgur, nec aliud quidquam nos sequetur nisi opera, quae nobis si bona salutem, si mala damnationem comparabunt. Ad sacramenta uberes caelestium gratiarum fontes frequenter accedite diesque festos sanctificate, in quibus propterea non missae dumtaxat assistere sacrificio, sed divinum verbum audire, catechesibus consuetisque interesse Ecclesiae functionibus, religiosas praecipue moralesque virtutes accurate exercere debetis. Nec enim ut sanctificetur dies festus, satis esse potest perbrevis unius missae auditio, festorumque dierum violatores maximis Deus punitionibus insectatur. Ecclesiasticae civilique potestati ex animo subditi estote; *non est enim potestas nisi a Deo .... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (61). Bonum in ordine situm est, nec ordo sine submissione et obedientia haberi unquam potest.

In proximum indigentem, Filii mihi carissimi, benefici estote et misericordes. In pauperes nostros reapse fratres eo libentius pii esse debemus, quod sub abjecta eorumdem persona ipse Jesus Christus opem implorat, et quidquid illis fecerimus, sibi factum esse profitetur (62). Quod sane debitum si semper magnum, hisce diebus maximum est, quia simul cum inopia numerus aeque inopum augetur. *Date igitur et dabitur vobis* (63); idque vobis non solum vivis continget, quia qui *dat pauperi* (sic enim legitur) *non indigebit* (64); sed quod magis interest, etiam morientibus, quia dictum est: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur* (65). Mihi vero laetandum maxime est, quod Jesu Christi pauperes apud illum mihi populum commendare conceditur, qui et mente perspicaci et animo ad humanitatem et beneficentiam propenso excellit. Mihi nimirum datur eos commendare et viris nobilibus, qui splendorem generis ideo aestimandum putant, quod aliis praeeundi ac praeclare factis praelucendi munus

Digitized by Google

importat; et divitibus ac locupletibus, qui ex Dei praecepto dum illius se providentiae ministros norunt, pari cura et sollicitudine cum rerum suarum rationem habent, tum sublevandis fratrum egestatibus thesaurum sibi in caelis non deficientem thesaurizant. Vos porro, pauperes, a quibus beneficia accepistis, memorem gratumque animum eisdem habete, nec panem protensa manu ab aliis efflagitate, nisi prius omnes in comparanda, quae vobis sunt necessaria, vires et conatus insumpseritis, et nulla aliunde honesta ratio protrahendae vitae suppeditet; de repulsa, si quando lata fuerit, ne queramini; nec enim aut quid quisque possit aut quid cum aliis agat, vobis innotescit; praecipue vero de vestrae conditionis angustiis nunquam doleatis, cum ipse rex regum Dominus noster Jesus Christus et nasci pauper et vivere et mori voluerit.

Omnes tandem, o Filii, cujuscumque aetatis, sexus atque status, omnes, obsecro, per viscera misericordiae Dei nostri, satagite, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate* (66). Quemadmodum vero majora vobis, patres ac matres, onera ab ipsa vestri status conditione imponuntur; ita finem huic epistolae faciendum non puto, nisi prius vos peculiariter orem atque deprecer, ut *filios vestros in disciplina et correptione Domini* diligentissime educetis (67).. Hujusmodi debitum, quod vos proxime spectat atque afficit omnino, nisi convenienter absolveritis, ne parentum quidem nomen promereri potestis; quoniam ad id jure assequendum genuisse non sufficit, ait Chrysostomus, sed recta etiam filiorum educatio necessaria est (68). Nec vestro satis muneri ideo factum arbitremini, quod illos aliis instituendos commiseritis. Ipsimet vos primores estis magistri, vestraque documenta tum ob auctoritatem a natura Deoque vobis attributam, tum ob mutuum amoris sensum maximam semper vim et efficientiam habitura sunt. Quod si aetate procedentes et cupiditatibus inflammati, posthabitis interdum curis, quibus eosdem retinere studuistis, a via recta aberrarint, tamen primis ab usque annis religiose a vobis instituti

Digitized by Google

ut ad vestrum redeant sinum se assidue incitari sentient ac tandem aliquando compelli; si minus, eorumdem etiam aberrantium amorem vobis et reverentiam conservabitis. Nunquam profecto infelix erit parentum illorum senectus, qui verbis et maxime exemplo filios suos religionem virtutemque docuerint; illorum e contrario miserrima et saepe numero vituperata, qui singularem hujusce scholae efficacitatem neglexerint. Vos vero, *filii, obedite parentibus vestris in Domino* (69), qui vobis Dei imaginem repraesentant, eosque verbis ac operibus honorate. Quidquid enim possidetis, secundum Patrem caelestem eisdem omne debetis, qui in vobis ac per vos summa cum cura et dulcissimis vivunt affectionibus animorum. Deus unice verax cum hujusmodi praeceptum ab ipsa natura in humanis cordibus impressum vobis dedit, pollicitus quoque est filios bonos fore longaevos super hanc terram ac felices; malos vero praeter publicam infamiae notam caeli insuper maledictionem habituros (70).

Quod si tot ac tanta sunt, quibus obstringimur, officia ac onera, si nihil ipsi per nos sine ope divinae gratiae possumus, *adeamus* saepe, Fratres Filiique dilectissimi, per orationem *adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (71). Oremus mane, per diem ac vespere, semper oremus, quia semper indigetur, semperque orari potest, dummodo ea quae facimus, *omnia in gloriam Dei faciamus* (72). Continua haec et perseverans oratio, ubi fragrans veluti thus in conspectum Dei ascenderit, cum maximis, ut ait D. Augustinus, lectissimisque donis descendit. Pro vobis itaque orate, proque omnibus, ut praecipit Apostolus (73), hominibus. Orate imprimis pro Pontifice Maximo Pio IX, ut divina Providentia, quem in die periculi liberavit, et majorem omnium gentium existimationem reverentiamque in exilii aerumnis consecutum inter laetissimos catholici orbis plausus sanctae romanae Sedi restituit, eumdem ad suorum fidelium amorem et ad perfectam Ecclesiae novis per heroicas ejus virtutes triumphis decoratae prosperitatem diutissime tueatur incolumemque felicitet. Orate pro Augusto Impera-

Digitized by Google

tore ac Rege nostro Francisco Josepho, qui adhuc adolescens latis nuper legibus et catholicae Ecclesiae bono consuluit et ingenitam religionem magis magisque comprobavit. Orate pro iis etiam omnibus, qui *in sublimitate sunt,... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo* (74). Orate tandem pro me, quippe qui maxime omnium caelestibus indigeo adjumentis.

Ad te confugio supplicesque manus protendo, o Virgo Immaculata, quam ego per omne meae vitae tempus praecipuo quodam amore ac religione veneratus sum semperque imposterum venerabor; tu mihi apostolicum obeunti certamen materna caritate comes adesto atque dux. Te, inclyte Martyrum Princeps Stephane, cujus singulari tutela Cathedralis Ecclesia omnisque Dioecesis gaudet maximeque gloriatur; vos, invicti Martyres, qui Concordiensi terrae vestro jam sanguine consecratae magnam apud remotissimas gentes famam et venerationem peperistis perpetuo illo prodigio, quod vestris in ossibus quotidie renovatur; vos, beati Caelicolae, quibus singulae istius Dioeceseos Ecclesiae dedicantur; vos, inquam, omnes invoco atque imploro, ut patrocinio vestro ac intercessione Pastor ego bonus et secundum Dei cor esse possim et reapse sim. Tu vero, beate Gregori Barbadice, perfectum Episcoporum exemplar, cujus ego opem et auxilium ad varia officiorum munera in hac tui Cordis sede quomodocumque obeunda expertus sum, filium tui amantissimum e paterno domicilio aegre et Deo dumtaxat jubente abstractum propitiis de caelo oculis etiam imposterum intuere.

Religiosa hac spe erectus atque confirmatus cum paterna animi effusione pastoralem vobis Benedictionem impertior *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Ex Seminario Patavino die Consecrationis meae
XIV Cal. Mart. MDCCCLI.

✠ ANGELUS Episcopus.

Digitized by Google

ADNOTATIONES

(1) I. Tim. c. 3. v. 1.
(2) Conc. Trid. sess. 6. c. 1. de ref.
(3) Matth. c. 5. v. 13., 14.
(4) Ibid. c. 24. v. 45.
(5) Ev. Joan. c. 10. v. 11.
(6) I. Tim. c. 3. v. 2. Tit. c. 1. v. 8.
(7) Luc. c. 22. v. 26. I. Petr. c. 5. v. 3.
(8) S. Greg. Pp. Reg. Past. part. 2. c. 3., 4.
(9) Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de ref.
(10) Hom. ad popul.
(11) Ps. 87. v. 16.
(12) I. Cor. c. 1. v. 27.
(13) Matth. c. 3. v. 9. II. Cor. c. 3. v. 6.
(14) II. Cor. c. 12. v. 9., 10.
(15) Philip. c. 4. v. 13.
(16) I. Cor. c. 4. v. 21.
(17) Rom. c. 12. v. 21.
(18) Ibid. c. 15. v. 32.
(19) Cap. 4. de his quae fl. a Prael. sine cons. Capit.
(20) Tit. c. 2. v. 7.
(21) I. Petr. c. 5. v. 2.
(22) Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de ref.
(23) II. Tim. c. 3. v. 1. et seqq.
(24) Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de ref.
(25) Act. c. 5. v. 42.
(26) I. Cor. c. 2. v. 4.
(27) Gal. c. 4. v. 19.
(28) I. Petr. c. 2. v. 9.
(29) Malach. c. 2. v. 3.
(30) Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de ref.
(31) I. Cor. c. 4. v. 1.
(32) Conc. Trid. sess. 14. de ref. in prooem.
(33) Levit. c. 11. v. 44.
(34) Jacob. c. 1. v. 27.
(35) I. Joan. c. 4. v. 16.
(36) Ephes. c. 4. v. 2., 3.
(37) II. Petr. c. 1. v. 10.

Digitized by Google

222

(38) Hebr. c. 5. v. 4.
(39) I. Tim. c. 4. v. 8.
(40) Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de ref.
(41) Hebr. c. 13. v. 17.
(42) Jerem. Thren. c. 3. v. 27.
(43) Ose. c. 4. v. 6.
(44) I. Tim. c. 5. v. 22.
(45) Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de ref.
(46) II. Cor. c. 4. v. 10. Ephes. c. 4. v. 12.
(47) Cant. c. 4. v. 12.
(48) Gen. c. 27. v. 27.
(49) Cant. c. 2. v. 16.
(50) Eccli. c. 10. v. 2.
(51) Rom. c. 13. v. 1.
(52) I. Cor. c. 5. v. 3.
(53) Ibid. c. 16. v. 13.
(54) Hebr. c. 13. v. 9.
(55) Gal. c. 1. v. 8.
(56) Matth. c. 18. v. 17.
(57) Jacob. c. 2. v. 24.
(58) Gal. c. 6. v. 8.
(59) Exod. c. 20. v. 7.
(60) Gal. c. 6. v. 9.
(61) Rom. c. 13. v. 1., 2.
(62) Matth. c. 25. v. 40.
(63) Luc. c. 6. v. 38.
(64) Prov. c. 3. v. 9.
(65) Matth. c. 5. v. 7.
(66) Ephes. c. 4. v. 1., 2.
(67) Ibid. c. 6. v. 4.
(68) Hom. 12.
(69) Ephes. c. 6. v. 1.
(70) Deut. c. 5. v. 16. Ephes. c. 6. v. 2., 3. Eccli. c. 3. v. 18.
(71) Hebr. c. 4. v. 16.
(72) I. Cor. c. 10. v. 31.
(73) I. Tim. c. 2. v. 1.
(74) Ibid. v. 2., 3.

5830934
Digitized by Google